



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtru[m] iudex possit aliquem iniustè condemnare non accusatum? 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

Vtrum iudex possit aliquem condemnare, etiam si non sit aliquis accusator?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd iudex possit aliquem iudicare, etiam si non sit aliquis accusator. Humana enim iustitia deriuatur à iustitia diuina. Sed Deus peccatores iudicat, etiam si nullus sit accusator. Ergo videtur quòd homo possit in iudicio aliquem condemnare, etiam si non adsit accusator.

379
opus. 19.
c. 5. fin.

¶ 2 Præterea, Accusator requiritur in iudicio ad hoc, quòd deferat crimen ad iudicem. Sed quandoque potest crimen ad iudicem deuenire alio modo, quam per accusationem: sicut per denuntiationem, vel per infamiam, vel etiam si ipse iudex videat. Ergo iudex potest aliquem condèrnare absque accusatore.

¶ 3 Præterea, Facta Sanctorum in scripturis narrantur, quasi quædam exemplaria humanæ vitæ. Sed Daniel simul fuit accusator & iudex contra iniquos senes, vt patet Dan. 13. Ergo non est contra iustitiam si aliquis aliquem condèrnnet tamquam iudex, & ipsemet sit accusator.

SED contra est, quod 1. ad Cor. 5. * Ambros. exponens sententiam Apostoli de fornicatore, dicit, quòd iudicis non est sine accusatore damnare: quia Dominus ludam, cum fuisset fur, quia non est accusatus, minimè abiecit.

1. ad Co.
5. habe-
tur 23. q.
4. cap. si
quis pote-
statem.
c. 4. par.
an. med.
to. 5.
q. 58. a. 2.

RESPONDEO dicendum, quòd iudex est interpres iustitiæ. Vnde sicut * Philosophus dicit in quinto Ethicorum, homines ad iudicem confugiunt, sicut ad quamdam iustitiam animatam. Iustitia autem sicut supra f dictum est, non est ad seipsum, sed ad alterum. Et ideo oportet quòd iudex inter aliquos duos diiudicet. Quod quidè sit, cù vnus est actor, & alius est reus. Et ideo in criminibus non potest aliquè iudicio condemnare iudex, nisi habeat accusatorem, secundum illud Act. 25. Non est consuetudo Romanis dam-

damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, præsentem habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei obijciuntur.

Ad primum ergo dicendum, quòd Deus in suo iudicio utitur conscientia peccantis quasi accusatore, secundum illud Roman. 2. Inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium. Vel etiam euidencia facti, quantum ad ipsum: secundum illud Genes. 4. Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.

Ad secundum dicendum, quòd publica infamia, habet locum accusatoris. Unde super illud Gen. 4. Vox sanguinis fratris tui, &c. dicit gloss. Euidencia perpetrati sceleris, accusatore non eget. In denuntiatione verò, sicut supra dictum * est, non intenditur punitio peccantis, sed emendatio. Et ideò nihil agitur contra eum, cuius peccatum denuntiat, sed pro eo: & ideò non est ibi necessarius accusator. Pœna autem inferitur propter rebellionem ad ecclesiã: quæ, quia est manifesta, tenet locum accusatoris. Ex eo autem, quod ipse iudex videt, non potest procedere ad sententiam ferendam, nisi secundum ordinem publici iudicij, quod tenet locum accusatoris.

Ad tertium dicendum, quòd Deus in suo iudicio procedit ex propria notitia veritatis: non autem homo, ut supra dictum * est. Et ideò homo non potest simul esse accusator, & testis, & iudex, sicut Deus. Daniel autem accusator fuit simul & iudex, quasi diuini iudicij executor, cuius instinctu mouebatur, ut dictum est *.

ARTIC. IV.

Vtrum iudex licitè possit pœnam relaxare?

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd iudex licitè possit pœnam relaxare. Dicitur enim Iac. 2. Iudicium sine misericordia ei, qui non facit misericordiã. Sed nullus punitur propter hoc, quòd non facit illud quod licitè facere non potest. Ergo quili-

q. 33. a. 7

art. prac.

a. 1. ad 1

380

3. qu. 46.

a. 2. ad 3

et d. 43.

q. 2. a. 2.

ad 5. et

4. d. 46.

q. 3. ar. 2.

et 4. a. 1.

q. 3. a. 1.